

Q. K. 353, 53.

X 1879859

II l
30

A. D. G.
De

INCOMMODIS
EX AMPLITUDINE
URBIUM,

*Occasione loci apud Gramond. L. II.
ad Ann. 1616. p. 127.*

Permissu inclutæ Facult. Philosoph.

P R Æ S I D E

DN. M. JOANNE Gottlieb Hardt/
Facult. Philosoph. Assessore,

paucas theses placido eruditorum examini
ad diem XII. Novembr. clō Ioc xcii.

H. L. Q. C.
exponet

A U T O R - R E S P O N D E N S

JOH. CHRISTOPHORUS Hübler/
Chemnicensis.

L I P S I Æ,
TTPIS CHRISTIANI GOEZI.



V I R I S

*Maxime. Plurimumq; Reverendis, Excellentissimo, Nobilissimis, Amplissi-
mis, Consultissimis, Præclarissimis, Spectatissimisq;*

DN. JOHANNI VVILHELMO HILLIGERO,
Ecclesiæ Chemnicensis Pastori Primario, vicinarumque
Ephoro splendidissimo,

DN. CHRISTIANO CRUSIO,
Sereniss. Elect. Saxon. Redituum Censualium Collectori
circumspectissimo, & Reipubl. Patriæ Consuli
spectatissimo,

DN. DANIELI VVAGNERO,
Reipubl. Patriæ Pratori spectatissimo,

DN. M. GODOFREDO SCHULZIO,
Lycei Patrii Rectori meritissimo,

DN. M. JOHANNI JOACH. KANDLERO,
Pastori in Fischbach & Seeligstädt fidelissimo,

DN. HENRICO BIEDERMANNO,
Ærarii Publici Præfecto & Reipubl. Patriæ Senatori
conspicuo,

DN. M. AUGUSTO VVAHLIO,
S. S. Theol. Candidato dignissimo,

DN. JOHANNI DANIELI HÖPNERO,
Jurium Studiofo solertissimo,

DN. DAVIDI VVAHLIO,

DN. CONSTANTINO VVAHLIO,

DN. AUGUSTO MATHESIO,

Negotiatoribus Chemnitii & Erphordiæ conspicuis,
*Mæcenatibus, Promotoribus atq; Patronis necessitatis gradu
conjunctissimis,*

Primitias suas Academicas sacras esse cupit
JOHANNES CHRISTOPHORUS Hübler.



J. J.

§. I.



urbium amplitudine vastos illos ambitus cupimus designatos, quibus civitates haut paucas vel hodie adhuc non in Europa tantum nostra, sed reliquis etiam orbis partibus concludi observamus, perinde habituri populosa fuerint an minus frequentata incolis, munita an patentes, maritima sive in continente, divites aut inopes, suburbiis cincta an plane his carentes. Nam utcunque comparatum fuerit cum ipsis, incommoda tamen varia pariunt; theologica, moralia, politica, physica, quibus cum ipsa vexantur, nonnunquam opprimuntur, tum regna valentissima vice plus simplici adficiunt, opplent, adfligunt. Acutissimus Gramondus id in Lutetia sua perspexit, ad ann. 1616. Lib. II. Hist. Gall. p. 127. haec edisserens verba: Nemini ignotum est, Europaeorum urbium Lutetiam esse facile principem, non alia nomine major, non ambitu; seu populus, seu urbem componunt immensa spatia regis aedificiis distincta, crescit & augetur

A 2

tur

tur indies plus æquo urbs impatiens sui, adeo, ut periculum sit, ne mole ruat sua, aut in ruinam agat aliquando, quam spoliat, Galliam.

§. II.

Neque primus tamen, qui sic pronunciaffet, Tolosani Parlamenti præses iste fuit. Diu ante Henricus II. Rex videlicet mense Novembr. M. D. XLIIX. edicto sanxerat, quo minus alicui liceret extra suburbia ædificare, ne magnitudine jam sua laborans Lutetia in immensum excresceret, quæ lex XVI. Cal. Febr. anni sequentis in Senatu etiam recitata est, prodente hujusce præside Thuano Hist. L. IV. ad Annum 1549. p. 419. edit. Paris. anni 1604. Idem ab aliis Sequaci tempore factitatum regibus, extatque inter alia lex Ludovici XIII, ne nova ædificia exstruerentur in suburbis Parisiensibus, ut habet Mercurius Franc. ad annum 1638. p. 477. citante Becmano Meditat. Polit. Cap. XI. §. 9.

§. III.

Angliæ reges de Londini incrementis intolerabilibus quoties sunt conquesti? Memoratu dignum, quod Jacobus I. in oratione quam in camera stellata habuit XII. Cal. Jul. M. DC. XVI. penitusque ipso eo anno, ad quem Gramondum citavimus, amplificari porro urbem ferio noluerit: Ædificandi quoque licentia, inquit; hæc quam ego edicto aliquoties vetui, vestram quoque curam advocat. Rem Reip. noxiam damnarunt prætores Angliæ. Reprimi autem poterit hæc ædificandi licentia, si domini ædium; aut, illis latentibus, fabri in carcerem compingantur, ædes vero ipsæ, ubi sine incommodo id fieri

eri potest, autoritate publicâ æquentur solo. In Opp.
est Oratio V. p. 261. seq.

§. IV.

Gramondo, ut amplitudini Lutetiarum esset infen-
sior, turba occasionem præbuit Condæo captivato tumul-
tum excitans, ganeones & popinariï, ait ibidem; postridie
quam captus Condæus specie liberandi, re studio in præ-
dam, accingunt se in seditionem & conglobant; nec
diu cum effunditur ater nimbus in Marescalli Ancræi ædes
cultu & fastu regias. Concutiuntur arietibus portæ; æ-
quatur solo paries, corrumpuntur tabellæ ingentis pretiï
Michaëlis Archangeli prototypus. Cætera quibus impo-
tens hominum libido æstimationem facit; aurum cufum,
cælatum, obrizum, rude, tapetia, margaritæ, uniones, qua-
les Ægypti regina bibit: aceto dilutos, adamantes, Sma-
ragdi, vestiaria auro & argento variata, & reliqua id genus
amota per furtum.

§. V.

Hoc certum experientia teste, vastas urbes seditio-
nibus æque cieri facile ac pelagus ingens vel mediocri
ventorum flatu impetuosum redditur. Maduit Roma
infinities sanguine civico. Constantinopolis quam cre-
bro tumultuantium præda facta est. Gandavum, Lute-
tiæ, Leodiumque tempore superiori triga rebellium dice-
bantur. Quid Colonia Agrippinæ, quid Hamburgi atque
Dantisci, civitatibus non plane maximis, Dæmagogi non
ita pridem valuerint, dememinere neutiquam rerum
gnari.

§. VI.

Mirum autem, in omnia alia Bodinum abiisse, utpote qui de Republ. Lib. V. cap. 2. pag. 527. nominatâ lege anno 1549. regnante Henrico II. latâ, illud etiam frustra metuunt, scribit: ne scilicet ex tanta civium multitudine secessiones existant; cum nulla re civitates à seditione tutiores sint quam hominum copia ac varietate: quia potentes inter ac debiles, locupletes ac tenues, probos & improbos, sapientes ac desipientes, opifices ac nobiles, magnam mediocrium in omni genere multitudinem interjectam esse oportet, quæ extrema dissidentia mediis ordinibus jungat, contra quam fit in angustis civitatibus, quæ & momento in duas factiones divisæ secedunt, nec facile conciliantur.

§. VII.

Enimvero nemini vir persuadebit, fluctus graviores diuturnioresque in simpulo excitari quam in Oceano: Sicuti nec illud invenerit fidem, duabus tantummodo factionibus ali tumultus, atque si tertia quædam ceu media interveniat, dissidentes partes coalituras. Loquuntur omnis ætatis annales, quàm ut plurimum contigerit urbes prægrandes non solum ipsas turbulentissimè agitata; verùm etiam rebuspublicis florentibus, quarum erant, damna dedisse, mutationes, ruinas. Ut plenius repetam quæ dicta sunt; Roma olim semetipsam vix ferendo fuit, vastusque incolarum numerus tantum non semper subditos armavit in rebellionem multoties novam regiminis formam producentem. Constantinopolis est,
cui

cui Sultani corpus committere tot funestis majorum cæ-
dibus captivitatibusque deterriti refugiunt quoties sedi-
tio inibi metuitur. Gandavum Philippo, Caroloque &
Mariæ, ultimis Burgundiæ Ducibus, atque deinceps Ma-
ximiliano, itemque Carolo Austriacis, maxima secesio-
nibus civium pericula peperit juxta atque damna, ut Ca-
rolus Audax sua jam tum ætate, divinante ut opinor ani-
mo, decerneret urbem magnam partem evertere. Comi-
næus Lib. V. cap. XVI. p. 335. edit. Barthii. Certè Carolo
ad Nancejum occiso insolentissima urbs Mariam capti-
vam quasi detinens inconsultis crudelibusque actionibus
suis Burgundionum cum Gallis æquilibrium perdidit, sic ut
Ludovicum XI. Atrebatō aliisque oppidis per otium velut
interceptis, fundamenta istius Monarchiæ quæ ad tantum
memoriâ nostrâ fastigium pervenit, Gandavensibus acce-
pta ferre oporteat. Vid. Comin. l. c. capp. à X. ad XIIX.
pariterque Libro VI. cap. I. & 2.

§. VIII.

Quin Bodinus sibi adversatur ipsi. Namque ob-
servat, seditiones civitates magnas propter leves causas sæ-
pe numero invadere, uti cum de capite potentium vel
gratiosorum civium agitur; aut cum supplicia inusitatis le-
gibus ac moribus irroganda sunt: Cum enim, pergit
Lib. IV. de Rep. c. 7. p. 477. Senatusconsulto Silaniano
quadringentos servos ad extremum supplicium ob unius
culpam trahi oporteret; quia populus Romanus rei novi-
tate ac indignitate vehementer commovebatur; Nero le-
gionem omnibus urbis regionibus disposuit, ut plebem
coërceret. Quod cum ab Imperatore Justiniano in con-
simili

simili fere causa prætermiffum fuiffet, ingens illa feditio quam fuperius diximus, urbem Constantinopolim uno velut incendio repente inflammavit. Nec ita pridem duæ clariffimæ urbes, Lutetia inquam & Antvverpia gravi feditione jactatæ fuerunt, cum religionis causa damnatos populus fupplicio liberaret. Reliqua in Bodino quippe prolixiora prætermitto.

§. IX.

Rectius itaque Arnifæus Doctr. Polit. Lib. II. c. IV. pronunciat *αὐξήσις* inter causas mutationum Reip. per vim internam numerando, de qua Bald. ad §. conventic. de pac. juram. firm. in Feud. dicat: Custodia regni est, non permittere ullum crefcere ultra commenfurationem. Sicut enim, ut ait Aristoteles, inter membra corporis humani monstrum nascitur, si unum eorum in quantitate proportionem, quam ad cætera habere debebat, exsuperet: ita si in Republica quam humano corpori bene comparabat Menenius Agrippa ap. Liv. lib. 2. pars una multitudine reliquas omnes transcendat, non tantum ordo, qui est forma Reipublicæ, violatur, sed & pars, quæ superat, alteram facile fibi fubjicere & rempublicam suam facere potest. Hactenus Arnifæus.

§. X.

Manu velut ducimur hoc discursu ad aliud incommodum Politicum ex vastis civitatibus. Illæ summam rerum arbitrio suo si non fubjiciunt, sollicitant tamen, aut saltim naturâ inæqualitatis ita ferente, ambitu suo concludunt. Quamprimum ergo urbs ejuscemodi turbis repletur,

tur, quod juxta modo dicta sæpius facileque contingit, rerum summam totamque Remp. oportet jactari turbulentam. Hæc leges fundamentales evertet ac dabit, sceptrum concedet atque auferet, bellum & pacem induxerit, paucis; revolutionum Reipublicæ, partu sæpius edito, infelix erit mater.

§. XI.

Nolumus repetere ea, quæ de Gandavo th. VIII. memoravimus, quemadmodum de Leodio, qua ratione Burgundionum res discrimini aliquando etiam ultimo subjecerit, utut mœnibus denudatum, ad Cominæum provocamus Lib. II. cap. IV. V. VII. IX. X. XI. XII. & XIII. Amstelodamum dissenſu aliquoties ob oculos posuit, quantum valeat, quodve rata sua parte cohibita elumbe jaceat Belgium. Carolus I. Rex Angliæ ideo tam infelici maclabatur ſucceſſu, quia Londinum ſibi experiebatur contrarium, obſervante Becm. l. c. Lutetia vigentibus bellis inteſtinis acceſſione ſua partem amicam ſemper ſuperiorem fecit.

§. XII.

Omnibus iſtis lux accendetur, ſi penſitemus, iſthoc inſuper amplam urbem premi malo, quod muniri ſatis nequeat, nec munitæ, ſi popuſa, proſpici de ſufficiente annona poſſit. Quod ſi igitur occupentur, facile vel externa vi oppreſſæ, vel internis motibus peſſundatæ ejuscemodi urbes, jactura ſummæ rerum ſæpe numero ſolet fieri. Lutetia Pariſiorum opibus ac populis florentiſſima poſt Cæſaris expugnationem uſque ad Anno 1584. centies obſeſſa ſemper hoſtes æquis condicionibus admittit, aut pecunia repulit, ajente Bodino l. c. Lib. V. c. 5. p. 559. Hic ibidem p. 562. ita differit: Anglia quidem Anglo-Saxonibus conceſſit pulſis Britannis; eadem Danos victis Anglis dominos re-

B

cepit;

cepit; postea Normanos duce Gulielmo. Et cum bellis civi-
libus principes Hyorchorum ac Lancastrensiū exarsissent,
NB. non amplius semestri spatio ter amissum ac recupera-
tum regnum fuisse legimus. Ac tametsi Eduardus IV. regno
potitus esset, eo tamen mortuo Richardus parricidio par-
tum imperium, Henrico VII. exule cum levi exercitu re-
deunte, momento amisit; quæ regionibus arces præsi-
diis firmatas habentibus non contigerunt.

§. XIII

Possemus autem exemplis recentioribus docere,
quam amissum facile Londinum cumque ipso integra sta-
tim regna, nisi tempus tereretur in re manifestissima. In-
tra biennium coronati quinque reges Neapolitani fuere,
Comin. Lib. VII. c. XI. p. 486. Mediolanensis ducatus variis
brevi obtigit, recensente eodem ibid. cap. III. utrumque,
metropolium auspiciis. Constantinopoli anno 1453. à
Turcis expugnata imperium Occidentis eadem die corruit.
Neque dubium, quin actum repente fuisset de republica
Belgarum, si viginti abhinc annis Dux Luxemburgicus Am-
stelodamum, ut intendebat, in regis Gallorum potestatem
redegisset.

§. XIV.

Non perperam quoque aut sine gravi ratione inter
incommoda numerabitur amplissimas civitates conse-
quentia, solitudo, quam affluxus undiquaque hominum,
ruri circumcirca producit corruptis insuper confluentium
moribus vitæque ruralis innocentia. Jacobus rex citata
§. 3. oratione gravissimis verbis de Londino pronunciat:
Hic lien est nostri corporis; eo crescente cætera membra
contabescere necessum est. Omnibus enim Londinum
habitandi gratia confluentibus, quid aliud ruri relinquitur
quam

quam solitudo? nec levamentum urbi vel opes ferunt hæc
nova ædificia, sed urbi simul & regno oneri sunt. Viri ge-
nerosi, quibus in urbe nihil rei est, fœminarum ambitione,
eò trahuntur; mariti sane ut uxoribus, parentes ut filiabus
gratificentur. Nec enim nisi Londini novam & transma-
rinam vestium formam invenire est. At Londini, si in-
nuptæ sunt, nuptiarum spem evertunt: Si nuptæ, famam
& maritalem censum. Nec solum deseruntur agri meli-
oris notæ hominibus in urbe desidentibus, sed & alia hinc
oriuntur & majora incommoda. Finge rebellionem ex-
citari, quid obsecro esse potest remedii, dum absunt, quo-
rum autoritate sedanda est. Cognata sunt, quæ Thuanus
l. c. adfert, legi, ait: (quam Henricus II. rex de non ædifi-
cando circa Lutetiam promulgavit) causam dedit, quod ex
pagis & oppidis vicinis illuc propter loci commoditatem
& immunitates conflente populo, agri vicini & oppida
deserebantur, & ii qui domi remanebant, tributis ac ve-
ctigalibus exsolvendis impares ultra modum onerabantur:
accedebat ad hoc, quod qui alicui arti sub opificibus ope-
ram dabant, antequam periculo artis factò adprobati fuif-
sent, dominis relictis in suburbia secedebant, ubi nullo ar-
tis periculo factò tabernas aperire & merces extrudere illis
jus erat. Parili modo cum Ludovicus XIII. legem ferret,
ne nova ædificia exstruerentur in suburbiis Parisiensibus, ra-
tionem addidit præcipuam, ut arva & culta loca servaren-
tur. Vid. Becm. l. c.

§. XV.

Idem Ludovicus rex hoc insuper causabatur, ne
multiplicatis ædificiis aër fieret infectior, atque impedi-
tior sordium exportatio. Profecto in tanta hominum
colluviem morbi plures, magisque contagiosi, nonnunquam

incogniti enascuntur, quales in minoribus aut tanta mole
haut laborantibus locis vel plane non, vel infrequentes at-
que ex vastis amplissimisque urbibus trausmissi agnoscun-
tur. Inficitur autem aër effluviis copiosissimis cum ho-
minum ipsorum, tum combustarum rerum variarum, ma-
xime omnium vero sordibus, quæ amoveri commode ne-
quaquam possunt. Quod si hiems oboriatur sævior, aqua
congelascens niviumque involucra infinitam quisquilia-
rum atque excrementorum copiam tegunt, quæ plurium
mensium farragines subitanea cœli clementia succedente,
uno impetu diffuentes pestilentem auram non raro da-
bunt, præsertim locis Zonæ torridæ vicinioribus. Sicuti
autem tantæ urbes dictis modis genitrices pestis plerum-
que sunt, ita eas diu nutriunt maxima hominum edita
strage, ut malum plane sisti nequeat, donec sponte sua
deferbuerit. Cairum Ægypti, Constantinopolis item, te-
stes erunt. Ad Romam quoque, Venetias, Neapolim,
Lutetias, Londinum &c. digitum intenderem, nisi per ea,
quæ Viennæ Austriæ, Pragæ alibique contigerunt, argu-
mentatio à majori ad minus oppido valeret.

§. XVI.

Utinam vero vis contagii moribus hominum anima-
busque in civitatibus amplitudine superbis internecina
non existeret. Nihil certius isthoc trito: Magnæ urbes,
magna peccata. Furtis, prostitutionibus corporum in
publicis etiam lupanaribus, insidiis diurnis, nocturnis gra-
sationibus atque homicidiis, seductionibus juventutis &
famulitii, insultibus contra magistratum ipsiusque mini-
stros aliisque criminibus nulla propemodum medela. Non
obscure hoc Angliæ rex Jacobus adductis §. 14. verbis insi-
nuat. Clarius de Lutetia Thuanus l. c. differit indigna-
bun-

bundus ajens: præterea maleficorum, ganeonum & otio-
forum hujuscemodi hominum colluvies isthic per lustra
& popinas tanta multitudine nidulabatur, ut non solum
privatus quisque sive ab exemplo, sive à maleficio, sed
etiam civitas ipsa sibi jure metueret. Exempla plura
non conquiram. Norunt illi, qui exteras oras frequen-
tarunt. Neque istud prætermitti debet, quod Atheorum,
Hæreticorum atque fanaticorum populosa patientesque
longe ac late urbes consueta tutissimaq; sint receptacula.
Quid vero inde damni, quid seditionum vice plus simplici
oboriatur, alii judicent.

§. XVII.

Sed ut ad ea deveniamus, quæ ad privatos magis atti-
nent, ante omnia sapientissimi regis Jacobi I. verba iterum
nostra facimus. Hæc in laudata oratione p. 261. talia legun-
tur: caram oportet annonam esse, ubi tot homines cibo &
igne alendi sunt. Neque annonæ difficultas ista incolas
tantæ urbis premet solummodo, næ hi omnes ejus gravi-
tatem persentiscent, qui intervallo satis magno circumha-
bitaverint, siquidem ruri venire quam plurimo solent, quæ
urbibus in pretio esse rusticus novit.

§. XIIX.

Incendiorum autem tempore, quanta calamitate am-
pla civitas urgeatur, dici vix potest. Flammam pabulum la-
tissime recipit, quæ cum urbe nervum reipubl. una depa-
scitur. Nihil ordinate fit plurimis ad sua dilabentibus, aliis
inhiantibus direptioni. Londini hoc patuit anno 1666,
Constantinopoli, Romæ, alibiq; sæpius. De Moscua videat-
ur Adamus Olearius Itiner. Moscov. Lib. III. c. 1. p. 245.

§. XIX.

Præterea pleriq; incolarum tantæ urbis haut aliter de-

gunt, quam si captivitate laxiori detinerentur. Quod si enim exspatiari extra urbem aut divertere ad hortos desiderant, non nisi molesto itinere instituto voti compotes redduntur. Equidem Monsieur Alexandre le Maître in Libro, cui titulus La metropolitée, chapitre XXIII. il est donc uray, inquit: que les jardins publics sont tres utiles & necessaires, tant pour la connoissance des plantes, que pour leur usage, & qu'ils s'accordent tres bien avec les autres parties, qui composent le corps de la ville capitale. Sed loquitur de horto publico, qui multitudini nec patet, nec congruit, nec sufficit; præterquam quod tales rarius in metropoli, frequentius locis peculiaribus, quibus magnates secessus habent, adornentur.

§. XX.

Alius cujusdam incommodi ejusdem cum priori census, illustris Baco de Verulamio amplissimas urbes insinuat Sermon. fidel. XXVII. Latino jactatum proverbio, scribit: Magna civitas, magna solitudo. In magnis enim urbibus amici & necessarii remotius disperguntur, adeo ut minus plerumq; familiariter & in consortio vivatur, quam in viciniis angustioribus. Quin & ulterius progredi licet, atque verissime asserere, meram & miseram esse solitudinem, ubi desunt amici veri, sine quibus mundus nihil aliud quam eremus est. Quo etiam sensu si solitudinem accipias; quicumq; natura & genio ab amicitis abhorret, hujusmodi affectum a bruto potius quam ab homine mutuatur. Videtur autem virum judiciosissimum respexisse ad istud, quod Plato sæpius inculcavit, in primis V. de legibus, ubi ita ait: Nihil civitati melius est, quam ut se invicem cives cognoscant. Ubi enim hæc lux & notitia non est inter cives, sed tenebræ meræ & ignorantia, ibi nec pro dignitate honores,

nones, neque magistratus recte dabuntur: non item com-
mode jus suum cuique tribui poterit. Quam rem Plutar-
chus Lib. V. *συμποσιακῶν* cap. 5. eleganter repetit; Plato, in-
quit: curam de augmento urbium posse referri ad convivia
putabat. Magnitudo enim convivii justa est, quamdiu
convivium manere potest. Ubi ob convivarum multitudi-
nem numerum excedit, ut jam compellationes, mutua co-
mitas & notitia excludantur, ne convivium quidem est. I-
tem de urbibus. Memorabile igitur, Ludovicum XIII. le-
gi toties laudatam, quam Lutetiarum ædificatio vetabatur, eam
pariter adiecisse causam: Ut facilius esset mutua subdito-
rum communicatio. Vid. Becm. l. c.

§. XXI.

Sapientissime eam circa rem Aristoteles differit Lib.
VII. Politic. cap. 4. Sic vero perhibet: Præterea vero aliquis
est etiam civitatibus magnitudinis modus, quemadmodum
& aliarum rerum omnium, animantium, plantarum seu ar-
borum, instrumentorum, justa magnitudo est. Etenim u-
numquodque horum, neque si nimis pusillum, neque si magnitu-
dine modum superet, potestatem aut vim suam incolu-
mem conservabit: sed interdum natura sua prorsus orba-
tum erit, aliàs nullam utilitatem afferet. Exempli causa, na-
vigium palmi quidem unius longitudinem non superans,
aut usque ad duorum stadiorum longitudinem porrectum,
non erit omnino navigium: ad quandam, vero magnitudi-
nem progressum, modo propter parvitatem, navigationem
incommodam reddet, modo propter magnitudinem im-
moderatam atque immensam. Similiter vero & civitas ea qui-
dem, quæ ex nimis paucis constabit non erit suis ipsa bonis
opibusque contenta: quæ vero ex nimium multis, erit illa
quidem rebus necessariis sic instructa, suisque bonis ita con-
tenta,

ART. 30


renta, ut gens, sed non ut civitas. Evolvantur omnino ad hunc locum Giphanius atq; Piccartus, quorum posterior p. 989. Exemplo sit Sparta, inquit; Thebæ, Athenæ, quæ urbes coarctabant potius numerum civium, quam exaugebant docentibus Platone, Aristotele, Xenoph. Hallicarnass. Ergo sententia vulgi prorsus nulla est.

§. XXII.

Quæ cum ita sint, ac rem minime tangit Mons. le Maître, quando in libro suo, La Metropolitée, Amstel. 1682. excuso, chapitre 19. probare satagit: Que dans les grandes Monarchies il faut établir une capitale des capitales. Clausula Capitis talibus verbis concepta est: l'Allemagne d'aujourd' huy pourroit souhaiter d' avoir dans son Empire un Paris ou un Londres avec les autres moyens d' union, qui luy marquent, pour prevenir son entiere décadence. Verum desiderat hic Gallus in Germania nostra illud, quod in Gallia & Anglia tot reges sunt detestati. Respondeat Jacobo I. Hic lien est nostri corporis, de Londino conquerenti, eo crescente reliqua membra contabescunt. Respondeat Gramondo, conterraneo, cujus de Lutetia judicium hæctenus utcunque illustrare studuimus: crescit & augetur, ait: indies plus æquo urbs impatiens sui, adeo ut periculum sit, ne mole ruat sua, aut in ruinam agat aliquando, quam spoliat, Galliam.

§. XXIII.

Cæterum extra dubium ponitur, amplitudine illustres civitates partim ipsas suis abundare commodis, partim aliqua in Remp. plenis rivis effundere. Sed de his super sedemus, quippe quibus propositum fuit, incommoda tantarum urbium quantulacunque delineatione adumbrare. Abrumpimus igitur æterno Numini perhibentes Laudem, Honorem & Gloriam.



he

1077



Maxime.
 DN. J
 Eccle
 DN.
 Seren
 DN.
 DN. M
 DN. M
 Pa
 DN.
 Æra
 DN.
 DN.
 DN.
 DN.
 Neg
 Mæcen.

Nobilissimis, Amplissi.
 rarissimisq.
 HILLIGERO,
 vicinarumque
 CRUSIO,
 ium Collectori
 Confuli
 A GNER O,
 fimo,
 CHULZIO,
 mo,
 ANDLERO,
 fidelissimo,
 R MANN O,
 triæ Senatori
 VAHLIO,
 mo,
 HÖPNERO,
 IO,
 VAHLIO,
 ESIO,
 e conspicuis,
 necessitatis gradu
 cras esse cupit
 TORUS Hübler.

